

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXV - N. 2

1993

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIU M
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1993

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex allocutione Summi Pontificis in Aeronavium Portu <i>Denveriensis</i> habita	163
Ex allocutione Summi Pontificis ad iuvenes in <i>Cherry Creek State Park</i> congregatos habita	165
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Sacra Limina visitantes	167
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Episcopos Australiae, visitationis "Ad Limina" occasione oblata	170
Ex allocutione Summi Pontificis ad quosdam Canadae Episcopos in sacrorum limi- num visitatione	171

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Responsio per generale decretum ad propositum quaesitum de can. 1673, 3º CIC	174
--	-----

ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	176
Pontificii Consilii Publicationes	177

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis») (Sessio XVII)	179
II. Coetus studii «De sacra Hierarchia» (olim «De Clericis») (Sessio XVIII)	210
III. Coetus studii «De Institutis Perfectionis» (Sessio V)	230
IV. Coetus studii «De Institutis Perfectionis» (Sessio VI)	270
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	327
Notitiae	328

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

I COETUS STUDII «DE SACRA HIERARCHIA» Sessio XVII (dd. 22-26 martii 1976 habita)

Diebus 22-26 martii 1976, in aula huius Pontificiae Commissionis, Consultores convenerunt Coetus studii «De Sacra Hierarchia», sub moderamine Exc.mi Castillo Lara, Commissionis Secretarii, atque Rev.mi Onclin, Secretarii adjuncti, qui munere Relatoris functus est. Aliquis adunationibus adfuit quoque Em.mus Card. Felici, Commissionis Praeses.

Conventibus interfuerunt Exc.mi quinque et Rev.mi tres Consultores, atque Rev.dus Herranz, qui actuarii munere functus est. Adunationibus non interfuerunt, quia legitime impediti, duo Exc.mi ac duo Rev.mi Consultores.

In initio sessionis Rev.mus Relator in mentem adstantium revocat quaestiones in hac Sessione pertractandas sequentes esse: de paroeciis et de parochis; de vicariis paroecialibus; de vicariis foraneis seu decanis et de ecclesiarum rectoribus. Deliberationes ergo incipiunt ab ultima recognitione canonum schematis «De paroeciis et de parochis», quorum textus examini Consultorum successive subiiciuntur.

Can. 1 (novus)

Textus est sequens:

§ 1. Paroecia est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur uni sacerdoti, paroeciae parocho aut, ubi adiuncta id requirant, pluribus insimul sacerdotibus sub moderamine eorum unius cooperantibus ad normam iuris.

§ 2. Pro regula habeatur ut paroecia uni concredatur sacerdoti, qui sit eiusdem parochus; certis tamen adiunctis id requirentibus, paroecia cura committi potest pluribus in solidum sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut eorum unus curae pastoralis exercendae sit moderator, qui nempe actionem coniunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat.

§ 3. Si ob sacerdotum penuriam, Episcopus dioecesanus aestimaverit participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae concredendam esse alicui personae sacerdotali charactere non insignitae aut personarum communitati, sacerdotem designat aliquem qui, cum iuribus parochi propriis, uti proprius paroeciae pastor, curam pastoralem moderetur.

Rev.mus primus et alii Consultores postulant ut vitentur repetitiones quae habentur in §§ 1-2. Quare Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et omnibus placet, ut textus duarum paragraphorum in unum confluant, sequenti cum redactione:

§ 1. Paroecia est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur uni sacerdoti, paroeciae parocho, aut, ubi adiuncta id requirant, pluribus in solidum sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut horum unus curae pastoralis exercendae sit moderator, qui nempe actionem coiunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat.

Quoad § 3, nunc § 2, Exc.mus secundus atque Rev.mi primus et tertius Consultores, animadvertunt aptius esse dicendum, claritatis causa: «... sacerdotem *constituat* aliquem qui, *potestate* parochi *gaudens*, uti ...». Proposita emendatio ab omnibus recipitur.

Can. 2 (novus)

«Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi vero, de iudicio Episcopi dioecesani, auditio Consilio presbyterali, id expediat, constituantur paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia ratione determinatae».

Nulla fit emendatio, et textus probatur uti propositus est.

Can. 3 (novus)

Textus est sequens:

«§ 1. Parochus est sacerdos, qui, tanquam eius pastor proprius, paroeciae sibi commissae cura pastorali defungitur, sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro populo sibi concredito munera docendi, sacrificandi et regendi exsequatur, cooperatoribus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris.

§ 2. Qui, adiunctis id requirentibus, plures insimul cura pastorali paroeciae defunguntur, ut pastores populi sibi commissi, sub auctoritate Episcopi dioecesani, coniuncti eadem munera exsequuntur, ita tamen ut qui eorum curae pastoralis universae moderamen habeat solus instruatur ordinaria potestate regiminis seu iurisdictionis in foro externo quam ius parochio agnoscit».

Ponitur quaestio de necessitate retinendi canonem propositum, quia in quibusdam punctis repetuntur ideae quae iam in canone 1 habentur. Magis tamen placet ut distinctio servetur inter normas notionem paroeciae resipientes (quae habentur in canone 1) et normas quae respiciunt figuram iuridicam parochi (quae traduntur in canone 3 et sequentibus). Quapropter probatur ut canon 3 maneat sed breviori forma redactus, uti postulant Exc.mus quartus atque Rev.mi primus et quintus Consultores.

His dictis attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem novam formulam huius canonis proponit, quae ab omnibus recipitur absque animadversionibus:

«Parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastorali populi sibi concredit defungens sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro eodem populo munera exsequatur docendi, sanctificandi et regendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris; coniuncti autem ut pastores proprii eadem munera exsequuntur qui, ad normam can. 1 § 1, in solidum cura pastorali paroeciae defunguntur, licet solus moderator ordinaria instruatur potestate regiminis, quam ius parochis agnoscit.»

Can. 4 (CIC, can. 451, §§ 2-3)

Ita sonat textus schematis:

«§ 1. Parocho aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus paroecialibus, sacerdos qui vacante paroecia ab Ordinario designatur ad curam pastoralem pro tempore exercendam, itemque vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior, qui, parocho impedito aut absente, eiusdem locum tenet, ad normam can. ...

§ 2. Vicarius qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastor proprius constituitur, in omnibus aequiparatur parocho, iis exclusis quae iure vel universalis vel particulari excipiuntur.

§ 3. Ad cappellanos pro militibus aliisve peculiaribus personarum coetus quod attinet, standum est specialibus Sanctae Sedis statutis».

Proponente Rev.mo Secretario Ad., placet ut simplicitatis causa textus § 1 ita emendetur:

§ 1. Parocho aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus paroeciali-bus, sacerdos qui vacante paroecia secundum normas ab Ordinario stabili-tas curam pastoralem pro tempore exercet ».

Nulla fit emendatio in §§ 2-3, quae probantur uti iacent.

Can. 5 (CIC, can. 452)

Textus schematis ita sonat:

« § 1. Parochus persona iuridica ne esto, Episcopus dioecesanus autem auctoritate propria, non vero Administrator dioecesanus nec sine speciali mandato Vicarius generalis aut episcopaloris, potest, de consensu competen-tis Superioris, paroeciam committere Instituto perfectionis aliive societati clericorum, etiam in ecclesia Instituti aut societatis eam erigendo, ea tamen lege ut unus sacerdos sit paroeciae parochus aut, si cura pastoralis pluribus committatur, moderator.

§ 2. Paroeciae commissio de qua in § 1 potest fieri sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus; in utroque casu fiat mediante conven-tione scripta inter Episcopum dioecesanum et Superiorum competentem inita, qua, inter alia, expresse et accurate definitur quae ad opus explen-dum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant ». (cfr. M. P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 33, § 1)

Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et ab omnibus accipitur, ut sequen-tes fiant emendationes in § 1: « *Persona iuridica parochus ne esto; Episcopus autem dioecesanus ... de consensu competentis Moderatoris, paroeciam committere Instituto vitae consecratae societative clericorum ...* ».

In fine huius paragraphi sequentia verba adduntur, ad mentem Exc.mi quarti Consultoris « *moderator, de quo in canone 1, § 1* ». Ita confusio vita-tur inter duos moderatores diversos de quibus sermo est in eadem para-grapho.

Quoad § 2, haec tantum fit emendatio uniformitatis terminologicae causa: « ... Episcopum dioecesanum et *Moderatorem* competentem... ».

Can. 6 (CIC, can. 453)

Hic est textus schematis:

« § 1. Ut quis valide in parochum assumatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Sit sana doctrina et morum probitate praestans, animarum zelo et spiritu missionali aliisque virtutibus, humanis quoque, praeditus atque qualitatibus gaudeat quae ad paroeciam de qua agitur curandam iure sive universalis sive particulari requiruntur».

Nulla fit animadversio, ideoque textus probatur uti propositus est.

Can. 7 (CIC, can. 454)

Textus schematis est:

«Qui in paroecia pastorali curae praeficitur qua paroeciae parochus aut moderator, ad indeterminatum tempus nominetur; ad certum tamen tempus ab Episcopo dioecesano nominari potest, si ita ab Episcoporum Conferentia regionis, per decretum ad normam can. ... editum, statutum fuerit».

Rev.mo quinto Consultori non placent verba «statutum fuerit», in fine canonis posita, quia timet ne potestas Conferentiarum Episcopalium ita nimis augeatur, etiam in quaestione quae tam intime connectitur cum iure et personali responsabilitate Episcopi dioecesani. Huic animadversioni accedunt Exc.mus sextus et alii Consultores. Quare probatur, proponente Rev.mo Secretario Ad., ut dicatur «*permissum fuerit*».

Nulla alia fit animadversio, et canon probatur cum praedicta emendatione.

Can. 8 (CIC, can. 455)

Formula in schemate proposita ita sonat:

«§ 1. Ius nominandi et instituendi parochum necnon sacerdotes quibus in solidum paroeciae cura committitur eorumque moderatorem competit Episcopo dioecesano, non autem, nisi de speciali mandato, Vicario generali aut episcopali.

§ 2. Parochum necnon sacerdotes de quibus in § 1 libere nominat Episcopus, salvo praescripto § 3; in iisdem tamen designandis, Episcopus rationem habeat necessitatum pastoralium paroeciae, quare vicarium foraneum consulat, et, si id opportunum duxerit, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad curam pastoralem in paroecia de qua agitur exercendam requisitis, audiat certos presbyteros, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

§ 3. (CIC, can. 456). Salvo iure particulari salvisque conventionibus

legitime inter Episcopum dioecesanum et Superiorem initis, ad paroecias alicui sodali Instituti perfectionis aut clericorum societatis concredendas, sive paroecia Instituto societative commissa sit ad normam can. 5 sive non, Superior secundum constitutiones competens sacerdotem sui Instituti aut societatis praesentat Episcopo dioecesano; qui, servato praescripto § 2, institutionem concedit ».

Uniformitatis terminologicae causa, in § 3 sequens fit emendatio: «Episcopum dioecesanum et *Moderatorem* initis... Instituti *vitae consecratae* aut ... *Moderator* secundum constitutiones...».

Can. 9 (CIC, can. 455, § 2)

Textus est sequens:

«Sede vacante aut impedita ad normam can. 1 (de Sede impedita), ad Administratorem dioecesanum aliumve dioecesim ad interim regentem pertinet:

- 1) vicarios paroeciales constituere, ad normam cann. 472-476;
- 2) institutionem concedere sacerdoti sodali Instituti perfectionis aut societatis clericorum, ad paroeciam praesentato a Superiore ad normam can. 8, § 3;
- 3) parochos sacerdotesve de quibus in can. 8, § 1, nominare, si sedes saltem ab anno vacaverit aut impedita sit ».

Rev.mus primus Consultor animadvertisit quod in § 1 oporteret dicere «ad normam cann. 1 et 5», quod placet.

In n. 2 sequentes fiunt emendationes ratione terminologica: «... Instituti *vitae consecratae* aut ... praesentato a *Moderatore* ad normam...».

Nulla alia animadversio habetur, et textus approbatur cum supradictis mutationibus.

Can. 10 (CIC, can. 458)

Formula proposita ita sonat:

«Vacanti paroeciae curet Episcopus dioecesanus providere ad normam can. 6 (de Officiis ecclesiasticis; in CIC, can. 155), nisi peculiaria locorum aut personarum adjuncta, prudenti Episcopi iudicio, collationem officii paroecialis differendum suadeant».

Nulla animadversio fit. Quapropter textus approbatur uti iacet.

Can. 11 (CIC, can. 459)

Textus est sequens:

« § 1. Episcopus dioecesanus vacantem paroeciam illi conferat, quem, omnibus perpensis adiunctis, idoneum aestimet ad paroecialem curam in eadem implendam, omni personarum acceptance seclusa.

§ 2. Si id expedire iudicaverit, potest Episcoporum Conferentia itemque Episcopus dioecesanus statuere ut presbyteri, post certum ab ordinatione annorum numerum, examini super doctrina subiificantur, quo eorundem habilitas ad munus paroeciale assumendum probatur».

Exc.mi septimus, quartus, sextus et Rev.mi primus et quintus quibus et alii accedunt Consultores, postulant ut norma generalis detur in hoc canone de necessitate ut, per examen cui subiificantur, accurate constet de habilitate parochorum ad hoc magni momenti officium pastorale adimplendum. Hoc quidem non infirmat normam de efformatione permanenti clericorum, praesertim si directe in curam pastoralem incumbant uti parochi, vicarii paroeciales, etc., sed oportet ut obligatio iuridica de examine peragendo statuatur, praesertim quo ad doctrinam christianam muneraque quae parochis sunt propria. Haec quidem norma communis debet esse sive parochis saecularibus sive religiosis, quia necessitas huius probationis atque rationes pastorales quibus fieri debet aequales sunt pro omnibus.

Attentis iis quae dicta sunt, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum novum § 2 proponit, qui ab omnibus approbatur:

« Ut quis ad officium parochi promoveatur, oportet ut, modo ab Episcopo dioecesano determinato, studia frequentaverit de doctrina christiana deque muniberis parocho propriis, atque per examen cui subiicitur de eius habilitate ad hoc officium implendum habeatur probatio, nisi in casu particulari aliunde de eiusdem habilitate certo constet».

Nulla alia fit animadversio; quapropter canon probatur, cum hac nova paragrapho 2.

Can. 12 (CIC, can. 460)

Textus schematis sic sonat:

« § 1. Parochus ad normam can. 7 (de officiis ecclesiasticis, in CIC can. 156) unius paroeciae tantum ut proprius pastor curam paroecialem habeat; ob penuriam vero sacerdotum aut alia adiuncta possunt, etiam pro tempore, quaedam paroeciae aequae principaliter uniri.

§ 2. In eadem paroecia unus tantum habeatur parochus, aut, si paroeciae cura pluribus insimul committatur sacerdotibus, eorum unus tantum sit eiusdem curae moderator, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio».

Proponit Exc.mus quartus Consultor et propositio placet, ut in fine § 1, loco «etiam pro tempore», dicatur «*saltem* pro tempore», cum optandum sit ut haec adiuncta ordinaria esse non debeant. Suggestit praeterea Em.mus Praeses ut textus claritatis causa ita compleatur: «... quaedam paroecia *ab Episcopo dioecesano* aequo principaliter uniri».

Notatur ab aliquibus Consultoribus repetitiones dari inter ea quae dicuntur in § 2 et quae iam statuta sunt in can. 1, § 1. Placet ergo, propONENTE Rev.mo Secretario Ad. ut § 2 ita emendetur: «In eadem paroecia unus tantum habeatur parochus aut moderator, ad normam can. 1, § 1, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio».

Nulla alia animadversio fit, ideoque canon approbatur cum praedictis emendationibus.

Can. 13 (CIC, can. 461)

Hic est textus schematis:

«1. Qui ad curam pastoralem paroeciae gerendam nominatus aut institutus est, eandem obtinet a momento captae possessionis; ante actum possessionis capienda, aut in ipso, fidei professionem edere debet de qua in can. 1406, § 1, n. 7.

§ 2. Parochum moderatoremque curae paroecialis in possessionem mittit loci Ordinarius aut sacerdos ab eodem delegatus, servato modo lege particulari praescripto aut legitima consuetudine recepto; iusta tamen de causa potest idem Ordinarius ab eo modo dispensare; quo casu dispensatio locum tenet captae possessionis».

§ 3. Pro ceteris sacerdotibus, quibus, ducente moderatore, insimul cura paroecialis committitur, fidei professio locum tenet captae possessionis.

§ 4. Loci Ordinarius praeferiat tempus intra quod possessio paroeciae capi debeat; quo inutiliter praeterlapsi, nisi iustum obstiterit impedimentum, paroeciam vacare declaret, ad normam can. 188, n. 2».

Quoad § 2, animadvertisit Exc.mus septimus Consultor dispensationem de qua in fine paragraphi publice constare debere ad vitandas confusiones quae certo certius evenire possunt. Huic animadversioni alii accedunt

Consultores, et ideo textus ita emendatur: «quo casu dispensatio, *paroeciae communicata*, locum tenet captae possessionis».

Nulla alia animadversio fit, et canon probatur cum hac sola emendatione.

Can. 14 (CIC, cc. 467, 468, 469)

Textus schematis est sequens:

«§ 1. Parochus obligatione tenetur providendi ut verbum Dei omnibus in paroecia sibi commissa degentibus annuntietur; quare, curet ut christifideles in fidei veritatibus recte edoceantur, praesertim homilia diebus dominicis et festis in regione de pracepto habenda, ad normam can. 1339 (novi) necnon catechetica institutione tradenda, ad normam cc. 1345-1352 (novae redactionis), utque spiritu evangelico in universis suis actionibus imbuantur; atque omni ope satagat, consociata etiam sibi eorundem christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur.

§ 2. Quo munus sanctificationis debite expleat, consulat ut Eucharistica celebratio centrum sit congregationis fidelium paroecialis; adlaboret ut christifideles, quibus quidem legitime potentibus sacramenta administrare debet, per ritam et devotam eorum receptionem pascantur utque ad SS. Eucharistiae necnon Poenitentiae sacramenta frequenter accedant; satagat ut iidem conscientiae et actuose in Sacra Liturgia partem habeant.

§ 3. Pastor paroeciae proprius cum sit, curet ut populum sibi commissum cognoscat; consociata cum cooperatoribus opera, prospiciat ut vitae christianae incrementum foveatur tum in singulis christifidelibus, tum in familiis, tum in consociationibus, tum in universa paroeciali communitate; domos et scholas visitet; provideat ut iuvenum adolescentumque peculiaris cura habeatur; legitima incepta ad unitatem inter christianos fovendam promoveat; adlaboret ut christifideles in operibus apostolatus partem habeant, atque opera ad evangelizationem gentium provehendam sustineant.

§ 4. Pauperes tenuioresque peculiari diligentia prosequatur; fortuna adversa conflictatos levet ac sustineat; quae ad iustitiam et caritatem pertinent foveat ac promoveat.

§ 5. Aegrotantes invisat, eos confortans, et quos in vitae discriminem novit sollicite Sacramentis reficiat, eisdem concedens quoque benedictionem apostolicam cum adjuncta indulgentia plenaria, quam quidem parocho aliive sacerdoti infirmis assistenti facultas est impertiendi. (cfr. Decr. *Chri-*

stus Dominus, n. 30: *Decr. Presbyterorum Ordinis*, nn. 5-6; PAULUS VI, *Constitutio apostolica Indulgentiarum doctrina*, V, n. 18).

§ 6. Provideat ut migrantibus, peregrinis ac itinerantibus in sua paroecia degentibus, cura pastoralis eisdem aptata non deficiat».

Exc.mus secundus Consultor suggerit ut in § 1 dicatur «*integrum verbum Dei*», ad firmandam obligationem parochorum recte et complete exercendi eorum munus docendi. Animadversio ceteris Consultoribus placet.

Exc.mus septimus Consultor animadvertisit, quoad verba «spiritu evangelico in universis suis actionibus (christifideles) imbuantur», parochos hoc curare debere praesertim per opera quae in paroecia foveant. Placet ergo, proponente Rev.mo Onclin, ut textus ita compleatur: «... utque *opera foveant* quibus in universis actionibus suis spiritu evangelico imbuantur».

Quoad § 2, animadvertisit Exc.mus octavus Consultor cui et alii accedunt, opportunum esse recolere auctoritatem quam parochus habet et exercere debet ad Sacram Liturgiam in paroecia recte ordinandam, ne abusus irrepant, uti hodie saepe evenit, saltem in quibusdam locis. Propositio placet, sed obiiciunt Exc.mus sextus et Rev.mus quintus Consultores quod parochi abuti possunt hac auctoritate, uti etiam hodie plura exempla habentur; oporteret ergo dicere hanc auctoritatem parochos exercere sub superiori auctoritate Episcopi. Fit parva discussio de hac quaestione, cuius in fine, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem textum proponit, qui ab omnibus recipitur: «... satagat ut iidem conscie et actuose partem habeant in Sacra Liturgia, quam quidem, sub auctoritate Episcopi dioecesani parochus in paroecia moderari debet atque in qua abusus ne irrepant, invigilare tenetur».

Ad § 3, animadvertisit Exc.mus septimus Consultor melius esse delere, in lin. 5 verba «et scholas», simulque ita complere quae dicuntur in lin. 6: «provideat ut iuvenum adolescentiumque praesertim in scholis peculiaris cura habeatur». Propositio placet.

Recipitur etiam animadversio eiusdem Exc.mi, iuxta quam expungenda sunt in fine paragraphi verba «atque opera... sustineant», quia haec idea iam habetur sub verbis praecedentibus: «adlaboret ut christifideles in operibus apostolatus partem habeant».

Nulla animadversio fit ad §§ 4-6, quae probantur uti iacent.

Can. 15 (novus)

Hic est textus in schemate propositus:

«§ 1. Parochus operam det ut christifideles suae curae commissi in amore habeant Christi Ecclesiam universam suamque, in qua eadem ex-

stat, dioecesim, utque parati sint ad cooperandum cum aliis eiusdem communitatibus ac inceptis.

§ 2. Adlaboret ut propriam communitatem paroeciale colant, spiritu communitatis imbuti; quare eosdem hortetur ut ecclesiam paroeciale adeant, ibidem in divinis officiis partem habentes et verbum Dei audiuentes.

§ 3. Agnoscat tamen libertatem qua christifideles gaudent alios adeundi sacerdotes alias frequentandi ecclesias ».

Notatur ab Exc.mo septimo Consultore textum huius canonis non esse iuridicum. Huic animadversioni ceteri accedunt Consultores, ideoque placet ut deleatur.

Can. 16 (CIC, can. 462)

Sic sonat textus:

« Functiones ab ipso parocho implendae, ab aliis autem nonnisi eodem consentiente exercendae, praeter alias iure particulari determinatas, sunt sequentes:

- 1) administratio forma sollempniore baptismi;
- 2) Sanctissimae Eucharistiae publica ad infirmos in propria paroecia delatio;
- 3) administratio sacramenti confirmationis iis qui in periculo mortis versantur, ad normam can. 4 (de Sacramento Confirmationis);
- 4) administratio Viatici necnon unctionis infirmorum, salvo praescripto can. 514;
- 5) denuntiatio de recipiendis sacris ordinibus atque de ineundis nuptiis praescripta; assistentia matrimoniis et benedictio nuptiarum;
- 6) persolutio funerum;
- 7) benedictio domorum ad normam librorum liturgicorum, sabato sancto aliove, pro locorum consuetudine, tempore;
- 8) fontis baptismalis tempore paschali benedictio, ductus processuum extra ecclesiam necnon benedictiones extra ecclesiam sollemnes;
- 9) celebratio Eucharistica sollemnior cum homilia diebus dominicis et festis de praecepto ».

Textus probatur uti iacet. Adduntur tantum in n. 4 sequentia verba ab Exc.mo secundo Consultore proposita: « atque apostolicae benedictionis impertitio ».

Can. 17 (novus)

Textus est sequens:

«Sacerdotes quibus insimul cura pastoralis alicuius paroeciae diversarumve paroeciarum sub moderamine eorum unius committatur, singuli, iuxta ordinationem sub ductu moderatoris stabilitam, obligatione tenentur persolvendi munera et functiones de quibus in can. 14 et 15; uni autem moderatori competunt potestas ordinaria matrimonii assistendi necnon facultates dispensandi ipso iure parochis concessae, itemque ipsi incumbit obligatio de qua in can. 23».

Exc.mus quartus Consultor quaerit ut, salva quidem moderatione unius, explicite statuatur necessitas delegandi ex parte moderatoris potestatem ordinariam quam habet, etiam ad universitatem negotiorum. Ita, ait Exc.mus, haberetur differentia cum figura iuridica vicarii paroecialis, qui tantum recipit pro cura pastorali christifidelium facultates delegatas ad nutum parochi. Animadvertisit tamen Rev.mus primus Consultor quod si iure statuitur obligatio delegationis ad universitatem causarum, talis norma magnas difficultates preeberet quia: via aperiretur ad abusus ex parte ceterorum sacerdotum, exempli gratia in casibus dispensationum quae concedi possunt christifidelibus, cum damno pro unitate regiminis paroecialis.

Huic animadversioni Rev.mi primi Consultoris accedit Rev.mus quintus Consultor, qui notat adsistentiam matrimonii atque dispensationes a lege requirere potestatem ordinariam, quam tantum habere potest moderator; ipse quidem delegare potest suam potestatem, per quam moderamen exercet in coetu sacerdotum, sed si huiusmodi delegatio vi iuris fit, tunc de facto omnes eiusdem coetus sacerdotes potestatem ordinariam haberent. Hoc in casu, non tantum de facto sed de iure, collegium parochorum (vel «coparochorum») haberetur, cuius moderator esset tantum primus inter pares.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur uni tantum moderatori competere potestatem ordinariam propriam, ceteris autem sacerdotibus potestatem ordinariam vicariam. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. hanc normam non resolvere problemata quae re vera ponuntur.

Fit adhuc parva discussio, cuius in fine sequens formula a Rev.mo Secretario Ad. proposta ab omnibus recipitur:

«Sacerdotes quibus insimul cura pastoralis alicuius paroeciae diversarumque paroeciarum sub moderamine eorum unius committatur, singuli, iuxta ordinationem sub ductu moderatoris stabilitam, obligatione tenentur persolvendi munera et functiones de quibus in can. 14: potestas vero ordi-

naria matrimoniiis assistendi sicut et facultates dispensandi ipso iure parocho concessae uni competit moderatori, qui vero curare debet ut, per delegationem rite factam, eiusdem coetus sacerdotes exercitium illarum potestatum opportuna ratione participant; moderatori quoque incumbunt obligationes de quibus in can. 22 ».

Can. 18 (nunc can. 17) (CIC, can. 464)

Hic est textus schematis:

«§ 1. In omnes suae curae pastorali commissos, parochus itemque, ducente moderatore, singuli sacerdotes quibus coniunctim pastoralis cura committatur ex officio obligatione tenentur curam animarum exercendi.

§ 2. Potest Episcopus dioecesanus, iusta et gravi de causa, certas communitates personarum et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et iure non exemptae, a parochi cura ex toto aut ex parte subducere ».

Nulla fit animadversio ad § 1.

Ad § 2 Exc.mus septimus Consultor suggerit, et accipitur, ut augeatur potestas Episcopi subducendi a parochi cura res quae in hac paragrapho enumerantur. Placet ergo ut dicatur: «certas communitates personarum, *aedificia et locos*, quae ...».

Can. 19 (nunc can. 18) (CIC, can. 463)

Formula quae in schemate proponitur est sequens:

«Licit paroeciale officium alias expleverit, ipsi parocho, aut diversis simul presbyteris quibus paroecialis cura committatur, praestationes cedunt quae ad normam iuris debitae sunt, nisi de contraria offerentium voluntate constet pro parte praestationem debitam excedente ».

Ut bene intelligatur textus, sequens fit emendatio, ad mentem Exc.mi Secretarii: «Licit paroeciale *quoddam* officium...».

Textus canonis approbatur cum hac sola emendatione.

Can. 20 (nunc can. 19) (novus)

Hic est textus schematis:

«In omnibus negotiis iuridicis parochus, aut curae pastoralis moderator, personam gerit paroeciae».

Exc.mus sextus Consultor, quaerit ut in fine textus addatur clausula «salvo praescripto can. 1526 CIC», ne parochus se immisceat etiam in ne-

gotiis civilibus absque licentia proprii Episcopi dioecesani. Alii Consultores censem additionem propositam non esse necessariam, quia per expressio- nem «In omnibus negotiis iuridicis» subintelligitur «in omnibus negotiis canoniciis». Fit parva discussio de hac quaestione, cuius in fine placet ut addantur verba «ad normam iuris» (ad normam nempe praescriptorum totius CIC).

Can. 21 (nunc can 20) (CIC, can. 465)

Textus qui proponitur est sequens:

«§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut parochus alibi commoretur, etiam extra paroeciam prae- certim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne paroecialium perfunctio munerum exinde detrimentum patiatur.

§ 2. Parocho, nisi gravis obstet ratio, singulis hebdomadibus sit unus dies feriatus; praeterea, vacationis gratia, ipsi licet quotannis a paroecia abesse per unum mensem continuum aut intermissum; loci tamen Ordinarius diuturnius vacationum tempus, iusta de causa, concedere potest.

§ 3. In vacationis tempore dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat, iuxta normas iure particulari determinatas; nec ii quibus, consentiente Ordinario, cursum frequentet ad profundiorem formationem theologicam vel pastoralem adquirendam.

§ 4. Cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus legitimam causam habeat et loci Ordinarium certiorem reddat; pro tempore eiusdem absentiae, nisi loci Ordinarius aliter providerit, curam pastoralem, cum omnibus facultatibus in his quae ad eandem curam pertinent, ipso iure assumit vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior; si vero desit vicarius paroecialis et loci Ordinarius aliter non providerit sui loco relinquat parochus aut parochum vicinum aut alium sacerdotem, sive saecularem sive, de licentia eius Superioris, religiosum; qui sacerdotes si probantur a Vicario foraneo, ipso iure facultates parochi obtinent.

§ 5. Etiam pro brevioris absentiae tempore parochus legitimam causam habeat; eiusdem locum ipso iure tenet vicarius paroecialis ad normam § 4; qui si desit, parochus curet ut necessitatibus christifidelium provideatur, etiam per delegatum sacerdotem qui paroeciae curam gerat.

§ 6. Singuli sacerdotes quibus insimul cura pastoralis paroeciae committitur, tenentur obligatione de qua in § 1 et gaudent iure de quo in §§ 2 et 3; moderator ut ultra hebdomadam absit, eget legitima causa; insu-

per alium designet ex coetu sacerdotem qui eius locum pro tempore teneat».

Ponitur imprimis quaestio de opportunitate perstringendi textum huius canonis, qui nimis longus, appareat, praesertim — uti notant Exc.mi Secretarius ac septimus et quartus Consultores — in paragraphis 4-6.

Quoad § 1, dubitant Exc.mus quartus et Rev.mus quintus Consultores circa convenientiam statuendi in lege generali obligationem habendi domum paroeciale. Aliis tamen Consultoribus placet ut principium generale maneat, quia — uti notatur ab Exc.mis septimo et sexto Consultoribus — parochus implet peculiare officium publicum et quidem non «ad tempus» sed continue; ideoque hoc munus permanens et publicum, quod omnibus christifidelibus patere debet, obligationem generat residendi in domo paroeciali, in loco nempe bene noto ubi parochus semper sit ad servitium pastorale suis fidelibus praestandum. His dictis accedunt omnes Consultores. Immo, ne exceptiones ad hoc principium generale multiplicentur, placet omnibus ut textus ita emendetur: «... in casibus tamen particularibus, si iusta adsit causa, Ordinarius permittere potest ut *alibi* commoretur, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo paroecialium perfunctioni munerum rite apteque sit provisum».

Quoad §§ 2-3, suggerit Exc.mus septimus Consultor, cui accedit Exc.mus Secretarius, ut tota haec materia iuri particulari demandetur. Magis tamen placet aliis Consultoribus, quibus et Exc.mi septimus Consultor et Secretarius accedunt, ut in ipsa lege qua obligatio residentiae statuitur simul statuantur limites: si hoc enim in generali lege non fit, et quidem modo rationabili, facile haberi possunt magnae differentiae in legislationibus particularibus ab Episcopis condendis, ideoque et etiam comparationes et consequentes contestationes inter parochos singularum dioecesium. Omnibus quoque placet ut tempus maximum vacationis quotannis habenda sit per unum mensem continuum aut intermissum, utque nihil dicatur de cursibus ad profundorem formationem adquirendam; qui cursus non necessarie quotannis haberi debent, et est quaestio nimis particularis. Placet denique ut §§ 2-3 in unum confluant.

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit novum textum canonis, qui ab omnibus probatur:

«§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; in casibus tamen particularibus, si iusta adsit causa, Ordinarius permittere potest ut *alibi* commoretur, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo paroecialium perfunctioni munerum rite apteque sit provisum.

§ 2. Nisi gravis obstet ratio, parocho, vacationis gratia, licet quotannis a paroecia abesse per unum ad summum mensem continuum aut intermissum; quo in tempore vacationis, dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat; parochus autem, ut ultra hebdomadam a paroecia absit, tenetur de hoc Ordinarium monere.

§ 3. Episcopi dioecesani est normas statuere quibus prospiciatur ut, parochi absentia durante, curae provideatur paroeciae per sacerdotem debitis facultatibus instructum ».

Can. 22 (nunc can. 21) (CIC, can. 466)

Hic est textus schematis:

« § 1. Parochus post captam paroeciae possessionem, obligatione teneatur Missam pro populo sibi commisso celebrare singulis diebus dominicis atque diebus festis in sua dioecesi de pracepto.

§ 2. Parochus Missam pro populo diebus de quibus in § 1 per se ipse celebrare et applicare debet; si vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium, vel aliis diebus per se ipse applicet.

§ 3. Parochus qui plurium paroeciarum curam habeat, alternis vicibus in ecclesia paroeciali singularum paroeciarum sibi commissarum Missam pro populo celebret, nisi tamen rerum adjuncta Missam alibi celebrandam suadeant.

§ 4. Parochus qui obligationi de qua in §§ 1, 2 et 3 non satisficerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet quot omisit.

§ 5. Si cura paroecialis pluribus insimul committatur sacerdotibus, iuxta ordinationem ab eisdem ducente moderatore stabilitam eorum unus implere debet obligationem de qua in §§ 1, 2, 3 et 4, qua vero omnes in solidum tenentur ».

Sicut pro canone praecedenti mens est omnium ut textus perstringatur, servata quidem praescriptorum substantia.

Nova redactio quae a Rev.mo Secretario Ad. proponitur est sequens:

« § 1. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione teneatur singulis diebus dominicis atque festis in sua dioecesi de pracepto Missam pro populo sibi commisso celebrandi; qui vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium aut aliis diebus per se ipse applicet.

§ 2. Parochus qui plurium paroeciarum curam habeat, diebus de quibus in § 1 unam tantum Missam pro universo sibi commisso populo applicare tenetur.

§ 3. Parochus qui obligationi de qua in §§ 1 et 2 non satisfecerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet, quot omiserit.

§ 4. Si cura paroecialis pluribus insimul committatur sacerdotibus, eorundem unus, iuxta ordinationem ab eisdem ducente moderatore stabilitam, implere debet obligationem de qua in §§ 1 et 2, qua verumtamen omnes in solidum tenentur».

Hic textus novus omnibus placet, sed, proponente Exc.mo quarto Consultore, in § 1, lin. 3 dicitur «*applicandi* loco «*celebrandi*», claritatis causa.

Can. 23 (nunc can. 22) (CIC, can. 470)

Textus schematis est sequens:

«§ 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, aliqui secundum Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani praescripta; prospiciat parochus ut eidem libri, servatis eorundem praescriptis accurate conscribantur atque diligenter asserventur; liber quoque de statu animarum, in quantum id fieri possit, conficiatur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio, necnon quae ad christifidelium statum canonicum pertinent, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto can. 1107, ratione adoptionis, itemque ratione ordinis sacri suscepti, professionis religiosae emissae necnon mutati ritus; eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus authenticum exemplum librorum baptizatorum, confirmatorum et matrimoniorum ad Curiam episcopalem transmittat.

§ 4. Testimonia quae de statu christifidelium canonico dantur ab ipso parocho eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciae muniantur.

§ 5. Unicuique paroeciae sit proprium sigillum; parochus provideat ut eodem muniantur acta omnia quae momentum iuridicum habere possunt.

§ 6. In unaquaque paroecia habeatur tabularium seu archivum, in quo libri paroeciales, etiam antiquiores, custodiantur una cum Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo dioecesano eiusve delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, parochus caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

§ 7. Libri paroeciales antiquiores quoque diligenter custodiantur, secundum praescripta iure particulari statuta ».

Proponit Em.mus Praeses, et propositio ab omnibus recipitur, ut in § 1, lin. 5, dicatur « *eo modo quo fieri possit* » loco « *in quantum id fieri possit* ».

Placet etiam, ad mentem Exc.mi secundi et aliorum Consultorum, ut quae dicuntur in §§ 4-5 in unum confluant, mutato praeterea ordine idearum.

His attentis Rev.mus Secretarius Ad. proponit novam formulam canonis, quae ita sonat:

« § 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, aliquique secundum Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani praescripta, firmis quidem praescriptis cann....; prospiciat parochus aut moderator ut iidem libri, servatis eorundem praescriptis, accurate conscribantur atque diligenter asserventur; liber quoque de statu animarum, eo quo fieri possit modo, conficiatur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio necnon quae ad christifidelium pertinent statum canonicum, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto can. 1107, ratione adoptionis, itemque ratione suscepti ordinis sacri, professionis in Instituto vitae consecratae emissae necnon mutati ritus; eaeque adnotationes in documenta accepti baptismi semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus authenticum exemplar librorum baptizatorum, confirmatorum et matrimoniorum ad Curiam episcopalem transmittat.

§ 4. Unicuique paroeciae sit proprium sigillum; testimonia quae de statu christifidelium dantur canonico, sicut et acta omnia quae momentum habere possunt iuridicum ab ipso parocho eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciali muniantur.

§ 5. In unaquaque paroecia habeatur tabularium seu archivum, in quo libri paroeciales custodiantur, una cum Episcoporum epistulis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo dioecesano eiusve delegato, visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, parochus caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

§ 6. Libri paroeciales antiquiores quoque diligenter custodiantur, secundum praescripta iure particulari statuta ».

In § 1 verba «firmis quidem praescriptis can...» (de bonis Ecclesiae temporalibus) posita sunt ad mentem Exc.mi octavi Consultoris qui postulavit ut etiam mentio fieret in canone de libro administrationis paroeciae.

Nunc tamen Consultores notant quod haec verba non congruunt cum contextu generali huius paragraphi; quapropter magis placet ut eadem idea ponatur in can. 19, in fine, sub his verbis: «curet ut bona paroeciae administrantur ad normam cann...».

In § 1 et § 3 adhibenda est locutio «parochus aut moderator», uti animadvertisit Exc.mus secundus Consultor; et in § 3 dicendum est «*exemplum librorum*».

Placet denique ut in § 4 haec fiat mutatio ordinis verborum in lin. 2: «*de statu canonico christifidelium* dantur».

Nulla alia fit animadversio, et textus canonis ab omnibus probatur cum supradictis emendationibus.

Can. 24 (nunc can. 23) (novus)

Textus schematis sic sonat:

«§ 1. Parochus ab officio cessat amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, renuntiatione iusta de causa ab ipso parocho facta et, ut valeat, ab Episcopo acceptata, necnon lapsu temporis, si iuxta iuris particularis de quo in can. 7 praescripta ad tempus determinatum constitutus fuerit.

§ 2. Parochum qui est sodalis Instituti perfectionis aut societatis clericorum libere, pro suo prudenti arbitrio, amovere potest Episcopus dioecesanus, monito Superiore ad normam constitutionum competenti; eundem amovere debet id requirente eodem Superiore qui vero nec ipse rationem sui iudicii Episcopo aperire tenetur, salvo quidem recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

§ 3. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibeat proprio Episcopo, qui, omnibus personae et loci inspectis adiunctis, de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo dioecesano providendum est, attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis».

Quoad § 1, Exc.mus quartus Consultor animadvertisit cessationem ipso iure, de qua in fine huius paragraphi, locum dare posse ad actus invalidos per inadvertentiam vel oblivionem; utique his in casibus applicari debet principium erroris communis, sed melius esset si aliquo modo haec difficultas vitaretur. Respondent Exc.mus Secretarius et Rev.mus Secretarius

Ad. quaestionem propositam indolis generalis esse, ideoque hic in canone solvi non posse; oportet tamen ut in schemate de normis generalibus Codicis norma generalis addatur, quae hanc difficultatem praevideat.

His dictis accedunt omnes Consultores.

Ad § 2 proponuntur a Rev.mo Secretario Ad. quaedam mutationes ad uniformitatem terminologicam praebendam, nempe: «Instituti *vitae consecratae*» atque «*Moderatore*», loco «*Superiore*», quod placet.

In § 3, lin. 2, dicendum est «Episcopo *dioecesano*» loco «Episcopo».

Nulla alia fit animadversio, et textus canonis probatur cum supradictis emendationibus.

Can. 24 (bis) (nunc can. 24)

Sic sonat textus schematis:

«§ 1. Cum vacat paroecia aut parochus, ratione captivitatis, exsilii vel relegationis, inhabilitatis vel infirmitatis aliasve causae a munere pastorali in paroecia exercendo praepediatur, a loci Ordinario quampriimum nominetur, aut ad normam can. 8 § 3 instituatur, administrator paroecialis, sacerdos scilicet qui parochi vicem pro tempore suppleat ad normam can. 24 (ter).

§ 2. Administrator paroecialis constitui etiam potest, si Episcopus dioecesanus id expedire iudicaverit, casu quo absentia parochi ultra mensem sit duratura».

Postulat Exc.mus quartus Consultor ut dicatur tantum «gravi causa» in lin. 1-2 paragraphi 1, ad vitandam enumerationem causarum. Alii tamen Consultores, inter quos Rev.mi primus et quintus, praeoptant ut maneat talis enumeratio quia ostendit mentem Legislatoris ideoque utilis est. Placet ut textus maneat uti est propositus.

Can. 24 (ter) (nunc can. 25)

Hic est textus schematis:

«§ 1. Vacante paroecia itemque parocho ob rationes de quibus in can. 24 (bis) § 1 a munere pastorali exercendo prorsus impedito, administrator paroecialis iisdem adstringitur officiis iisdemque gaudet iuribus ac parochus.

§ 2. Parocho ratione inhabilitatis infirmitatis aliasve valitudinis a munere excludo pro parte impedito, aut ad normam can. 24 (bis) absente, administrator paroecialis iis adstringitur obligationibus gaudetque iuribus, quae actu constitutionis definiuntur.

§ 3. Administratori paroeciali nihil agere licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut damno esse possit bonis paroecialibus

§ 4. Administrator paroecialis post expletum munus eiusdem parocho rationem reddat ».

Nulla animadversio fit, ideoque textus manet uti iacet.

Can. 25 (quater) (nunc can. 26)

Hic est textus:

« § 1. Vacante paroecia itemque parocho a munere pastorali exercendo penitus impedito, ante administratoris paroecialis constitutionem, paroeciae regimen interim assumat vicarius paroecialis, et si plures sint eorum nominatione antiquior, atque, si vicarii desint, parochus vicinior; vicarii foranei est determinare quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior sit habenda, nisi iam iure particulari definitum fuerit.

§ 2. Qui paroeciae regimen ad normam § 1 assumpsit, loci Ordinarii de paroeciae vacatione statim certiorem faciat ».

Exc.mi Secretarius et secundus Consultor censem melius esse ut, ad mentem can. 472 § 2 CIC, sit Episcopus dioecesanus qui determinet quaenam paroecia sit vicinior quod attinet ad casum de quo in fine § 1. Magis tamen placet ut textus simplicior reddatur, cum sequenti redactione ab omnibus probata: « *atque, si vicarii desint, parochus a iure particulari definitus* ».

Nulla alia fit animadversio, ideoque textus canonis manet approbatus cum supradicta emendatione.

* * *

Ita expleto examine schematis canonum de paroeciis deque parochis, animadvertisit tres ultimos canones non contemplari novam figuram iuridicam de paroecia coetui sacerdotum concredata. Determinari enim debet sacerdos qui suppleat moderatorem inhabilem vel impeditum aut in casu vacationis paroeciae, etc. In genere placet ut hic sacerdos sit aetatis senior, sed uti patet hoc non solvit omnes difficultates iuridicas quae dari possunt. Plures enim et inter se diversi esse possunt casus in quibus haec figura coetus sacerdotum habeatur et de facto habetur, nempe: coetus sacerdotum cui concreditur una tantum paroecia, vel coetus sacerdotum cui plures paroeciae insimul conreduntur, immo vero et coetus sacerdotum cui plures paroeciae conreduntur ad curam pastoralem omnium insimul ducendam

ea tamen lege ut unusquisque maneat parochus seu pastor proprius respectivaे paroeciae.

Propter has iuridicas difficultates aliasque quae visae sunt perdurante examine aliorum canonum, praesertim can. 17, a plerisque Consultoribus in dubium ponitur realis utilitas atque convenientia introducendi in lege generali Ecclesiae haec nova figura iuridica «coetus sacerdotum» («équipe») qui sit parochus. Probatur tamen, antequam definitiva decisio de hac quaestione sumatur, ut a S. Congregatione pro Clero postulentur debitae informationes circa experientias quae hac in re forte habeantur ex diversis regionibus ecclesiasticis.

Post peractum horum canonum examen, tempus quoque expletur sessioni studii dicandum. Quapropter, precibus de more dictis, Cardinalis Praeses hanc Coetus adunationem conclusam declarat.

Romae, die 22 martii 1976.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum**CANONES PROBATI IN XVII COETUS SESSIONE
DE PAROECIIS ET DE PAROCHIS***Can. 1 (novus)*

§ 1. Paroecia est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur uni sacerdoti, paroeciae parocho, aut, ubi adiuncta id requirant, pluribus in solidum sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut horum unus curae pastoralis exercendae sit moderator, qui nempe actionem coniunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat.

§ 2. Si ob sacerdotum penuriam, Episcopus dioecesanus aestimaverit participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae concredendam esse alicui personae sacerdotali charactere non insignitae aut personarum communitati, sacerdotem constitutat aliquem qui, potestate parochi gaudens, uti proprius paroeciae pastor curam pastoralem moderetur.

Can. 2 (novus)

Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi vero, de iudicio Episcopi dioecesani, auditio Consilio presbyterali, id expedit, constituantur paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia ratione determinatae.

Can. 3 (novus)

Parochus est pastor proprius paroeciae sibi commissae, cura pastorali populi sibi concretiti defungens sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro eodem populo munera exequatur docendi, sanctificandi et regerendi, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris; coniuncti autem ut pastores proprii eadem munera exsequuntur qui, ad normam can. 1, § 1, in solidum cura pastorali paroeciae defunguntur, licet solus moderator ordinaria instruatur potestate regiminis, quam ius parochis agnoscit.

Can. 4 (CIC, can. 451, §§ 2-3)

§ 1. Parocho aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus paroecialibus, sacerdos qui vacante paroecia secundum normas ab Ordinario stabilitas curam pastoralem pro tempore exercet.

§ 2. Vicarius qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastor proprius constituitur, in omnibus aequiparatur parocho, iis exclusis quae iure vel universalis vel particulari excipiuntur.

§ 3. Ad cappellanos pro militibus aliisque peculiaribus personarum coetibus quod attinet, standum est specialibus Sanctae Sedis statutis.

Can. 5 (CIC, can. 452)

§ 1. Persona iuridica parochus ne esto; Episcopus autem dioecesanus auctoritate propria, non vero Administrator dioecesanus nec sine speciali mandato Vicarius generalis aut episcopalis, potest, de consensu competentis Moderatoris, paroeciam committere Instituto vitae consecratae societative clericorum, etiam in ecclesia Instituti aut societatis eam erigendo, ea tamen lege ut unus sacerdos sit paroeciae parochus aut, si cura pastoralis pluribus committatur, moderator, de quo in can. 1, § 1.

§ 2. Paroeciae commissio de qua in § 1 potest fieri sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus; in utroque casu fiat mediante conventione scripta inter Episcopum dioecesanum et Moderatorum competentem inita, qua, inter alia, expresse et accurate definitur quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant (cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 33 § 1).

Can. 6 (CIC, can. 453)

§ 1. Ut quis valide in parochum assumatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Sit sana doctrina et morum probitate praestans, animarum zelo et spiritu missionali aliisque virtutibus, humanis quoque, praeditus atque qualitatibus gaudeat quae ad paroeciam de qua agitur curandam iure sive universalis sive particulari requiruntur.

Can. 7 (CIC, can. 454)

Qui in paroecia pastorali curae praeficitur qua paroeciae parochus aut moderator, ad indeterminatum tempus nominetur; ad certum tamen tempus ab Episcopo diocesano nominari potest, si ita ab Episcoporum Confe-

rentia regionis, per decretum ad normam can. 65 (de Conferentiis Episcoporum) editum, permisum fuerit.

Can. 8 (CIC, can. 455)

§ 1. Ius nominandi et instituendi parochum necnon sacerdotes quibus in solidum paroeciae cura committitur eorumque moderatorem competit Episcopo dioecesano, non autem, nisi de speciali mandato, Vicario generali aut episcopali.

§ 2. Parochum necnon sacerdotes de quibus in § 1 libere nominat Episcopus, salvo praescripto § 3; in iisdem tamen designandis, Episcopus rationem habeat necessitatum pastoralium paroeciae; quare vicarium foraneum consulat, et, si id opportunum duxerit, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad curam pastoralem in paroecia de qua agitur exercendam requisitis, audiat certos presbyteros, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

§ 3 (CIC, can. 456). Salvo iure particulari salvisque conventionibus legitime inter Episcopum dioecesanum et Moderatorem initis, ad paroecias alicui sodali Instituti vitae consecratae aut clericorum societatis concreendas, sive paroecia Instituto societative commissa sit ad normam can. 5 sive non, Moderator secundum constitutiones competens sacerdotem sui Instituti aut societatis praesentat Episcopo dioecesano; qui, servato praescripto § 2, institutionem concedit.

Can. 9 (CIC, can. 455, § 2)

Sede vacante aut impedita ad normam cann. 1 et 5 (de Sede impedita), ad Administratorem dioecesanum aliumve dioecesim ad interim regentem pertinet:

- 1) vicarios paroeciales constituere, ad normam cann. 472-476;
- 2) institutionem concedere sacerdoti sodali Instituti vitae consecratae aut societatis clericorum, ad paroeciam praesentato a Moderatore ad normam can. 8, § 3;
- 3) parochos sacerdotesve de quibus in can. 8, § 1, nominare, si sedes saltem ab anno vacaverit aut impedita sit.

Can. 10 (CIC, can. 458)

Vacanti paroeciae curet Episcopus dioecesanus providere ad normam can. 6 (de officiis ecclesiasticis, CIC, can. 155), nisi peculiaria locorum aut

personarum adjuncta, prudenti Episcopi iudicio, collationem officii paroecialis differendum suadeant.

Can. 11 (CIC, can. 459)

§ 1. Episcopus dioecesanus vacantem paroeciam illi conferat, quem, omnibus perpensis adjunctis, idoneum aestimet ad paroecialem curam in eadem implendam, omni personarum acceptione seclusa.

§ 2. Ut quis ad officium parochi promoveatur, oportet ut, modo ab Episcopo dioecesano determinato, studia frequentaverit de doctrina christiana deque muneribus parocho propriis, atque per examen cui subiicitur de eius habilitate ad hoc officium implendum habeatur probatio, nisi in casu particulari aliunde de eiusdem habilitate certo constet.

Can. 12 (CIC, can. 460)

§ 1. Parochus ad normam can. 5 (de officiis ecclesiasticis, in CIC, can. 156) unius paroeciae tantum ut proprius pastor curam paroecialem habeat; ob penuriam vero sacerdotum aut alia adjuncta possunt, saltem pro tempore, quaedam paroeciae ab Episcopo dioecesano aequae principaliter uniri.

§ 2. In eadem paroecia unus tantum habeatur parochus aut moderator, ad normam can. 1, § 1, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.

Can. 13 (CIC, can. 461)

§ 1. Qui ad curam pastoralem paroeciae gerendam nominatus aut institutus est, eandem obtinet a momento captae possessionis; ante actum possessionis capienda, aut in ipso, fidei professionem edere debet de qua in can. 1406, § 1, n. 7.

§ 2. Parochum moderatoremque curae paroecialis in possessionem mittit loci Ordinarius aut sacerdos ab eodem delegatus, servato modo lege particulari praescripto aut legitima consuetudine recepto; iusta tamen de causa potest idem Ordinarius ab eo modo dispensare; quo casu dispensatio paroeciae communicata locum tenet captae possessionis.

§ 3. Pro ceteris sacerdotibus, quibus, ducente moderatore, insimul cura paroecialis committitur, fidei professio locum tenet captae possessionis.

§ 4. Loci Ordinarius praefinit tempus intra quod possessio paroeciae capi debeat; quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, paroeciam vacare declareret, ad normam can. 188, n. 2.

Can. 14 (CIC, cc. 467, 468, 469)

§ 1. Parochus obligatione tenetur providendi ut integrum verbum Dei omnibus in paroecia sibi commissa degentibus annuntietur; quare curet ut christifideles in fidei veritatibus recte edoceantur, praesertim homilia diebus dominicis et festis in regione de pracepto habenda, ad normam can. 1339 (novi) necnon catechetica institutione tradenda, ad normam cann. 1345-1352 (novae redactionis), utque opera foveat quibus in universis actionibus suis spiritu evangelico imbuantur, atque omni ope satagat, ad sociata etiam sibi eorundem christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur.

§ 2. Quo munus sanctificandi debite expletat, consulat ut Eucharistica celebratio centrum sit congregationis fidelium paroecialis; ad laboret ut christifideles, quibus quidem legitime potentibus sacramenta administrare debet, per ritam et devotam eorum receptionem pascantur utque ad SS. Eucharistiae necnon Paenitentiae sacramenta frequenter accedant; satagat ut iidem conscientiae et actuose partem habeant in Sacra Litturgia, quam quidem, sub auctoritate Episcopi dioecesani, parochus in paroecia moderari debet atque in qua abusus ne irrepant invigilare tenetur.

Can. 15 (CIC, can. 462)

Functiones ab ipso parocho implendae, ab aliis autem nonnisi eodem consentiente excercendae, praeter alias iure particulari determinatas, sunt sequentes:

- 1) administratio forma sollempniore baptismi;
- 2) Sanctissimae Eucharistiae publica ad infirmos in propria paroecia delatio;
- 3) administratio sacramenti confirmationis iis qui in periculo mortis versantur, ad normam can. 4 (de Sacramento Confirmationis);
- 4) administratio Viatici necnon unctionis infirmorum, salvo praescripto can. 514, atque apostolicae benedictionis impertitio;
- 5) denuntiatio de recipiendis sacris ordinibus atque de ineundis nuptiis praescripta; assistentia matrimonii et benedictio nuptiarum;
- 6) persolutio funerum;
- 7) benedictio domorum ad normam librorum liturgicorum sabbato sancto aliove, pro locorum consuetudine, tempore;

- 8) fontis baptismalis tempore paschali benedictio, ductus processio-
num extra ecclesiam necnon benedictiones extra ecclesiam sollemnes;
- 9) celebratio Eucharistica sollemnior cum homilia diebus dominicis et
festis de pracepto.

Can. 16 (novus)

Sacerdotes quibus insimul cura pastoralis alicuius paroeciae diversa-
rumve paroeciarum sub moderamine eorum unius committatur, singuli,
iuxta ordinationem sub ductu moderatoris stabilitam, obligatione tenentur
persolvendi munera et functiones de quibus in can. 14; potestas vero ordi-
naria matrimonii assistendi sicut et facultates dispensandi ipso iure paro-
cho concessae uni competunt moderatori, qui vero curare debet ut, per de-
legationem rite factam, eiusdem coetus sacerdotes exercitium illarum pote-
statum opportuna ratione participant; moderatori quoque incumbunt
obligationes de quibus in can. 22.

Can. 17 (CIC, can. 464)

§ 1. In omnes suae curae pastorali commissos parochus itemque,
ducente moderatore, singuli sacerdotes quibus coniunctim pastoralis
cura committatur ex officio obligatione tenentur curam animarum exer-
cendi.

§ 2. Potest Episcopus dioecesanus, iusta et gravi de causa, certas com-
munitates personarum, aedificia et locos, quae in paroeciae territorio sint
et iure non exempta, a parochi cura ex toto aut ex parte subducere.

Can. 18 (CIC, can. 463)

Licet paroeciale quoddam officium aliis expleverit, ipsi parocho, aut
diversis simul presbyteris quibus paroecialis cura committatur, praestatio-
nes cedunt quae ad normam iuris debitae sunt, nisi de contraria offeren-
tium voluntate constet pro parte praestationem debitam excedente.

Can. 19 (novus)

In omnibus negotiis iuridicis parochus, aut curae pastoralis moderator,
personam gerit paroeciae, ad normam iuris; curet ut bona paroeciae admi-
nistrentur ad normam cann...

Can. 20 (CIC, can. 465)

§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; in casibus tamen particularibus, si iusta adsit causa, Ordinarius permittere potest ut alibi commoretur, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communis, dummodo paroecialium perfunctioni munerum rite apteque sit provisum.

§ 2. Nisi gravis obstet ratio, parocho, vacationis gratia, licet quotannis a paroecia abesse per unum ad summum mensem continuum aut intermissum; quo in tempore vacationis, dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat; parochus autem, ut ultra hebdomadam a paroecia absit, tenetur de hoc Ordinarium monere.

§ 3. Episcopi dioecesani est normas statuere quibus prospiciatur ut, parochi absentia durante, curae provideatur paroeciae per sacerdotem debitis facultatibus instructum.

Can. 21 (CIC, can. 466)

§ 1. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione tenetur singulis diebus dominicis atque festis in sua dioecesi de pracepto Missam pro populo sibi commisso applicandi; qui vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium aut aliis diebus per se ipse applicet.

§ 2. Parochus qui plurium paroeciarum curam habeat, diebus de quibus in § 1, unam tantum Missam pro universo sibi commisso populo applicare tenetur.

§ 3. Parochus qui obligationi de qua in §§ 1 et 2 non satisfecerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet, quot omiserit.

§ 4. Si cura paroecialis pluribus insimul committatur sacerdotibus, eorumdem unus, iuxta ordinationem ab eisdem ducente moderatore stabilitam, implere debet obligationem de qua in §§ 1 et 2, qua verumtamen omnes in solidum tenentur.

Can. 22 (CIC, can. 470)

§ 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, aliquique secundum Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani praescripta; prospiciat parochus aut moderator ut iidem libri, servatis eorundem praescriptis, accurate conscribantur atque diligenter asserventur; liber quoque de statu animarum, eo quo fieri possit, modo conficiatur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio, necnon quae ad christifidelium pertinent statum canonicum, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto can. 1107, ratione adoptionis, itemque ratione suscepti ordinis sacri, professionis in Instituto vitae consecratae emissae necnon mutati ritus; eaeque adnotationes in documenta accepti baptismi semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus aut moderator authenticum exemplum librorum baptizatorum, confirmatorum et matrimoniorum ad Curiam episcopalem transmittat.

§ 4. Unicuique paroeciae sit proprium sigillum; testimonia quae de statu canonico christifidelium dantur, sicut et acta omnia quae momentum habere possunt iuridicum ab ipso parocho eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciali muniantur.

§ 5. In unaquaque paroecia habeatur tabularium seu archivum, in quo libri paroeciales custodiantur, una cum Episcoporum epistulis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo dioecesano eiusve delegato, visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, parochus caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

§ 6. Libri paroeciales antiquiores quoque diligenter custodiantur, secundum praescripta iure particulari statuta.

Can. 23 (novus)

§ 1. Parochus ab officio cessat amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, renuntiatione iusta de causa ab ipso parocho facta et, ut valeat, ab Episcopo acceptata, necnon lapsu temporis, si iuxta iuris particularis de quo in can. 7 praescripta ad tempus determinatum constitutus fuerit.

§ 2. Parochum qui est sodalis Instituti vitae consecratae aut societatis clericorum libere, pro suo prudenti arbitrio, amovere potest Episcopus dioecesanus, monito Moderatore ad normam constitutionum competenti; eundem amovere debet id requirente eodem Moderatore, qui vero nec ipse rationem sui iudicij Episcopo aperire tenetur, salvo quidem recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

§ 3. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibeat proprio Episcopo dioecesano, qui, omnibus personae et loci inspectis adjunctis, de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo dioecesano providendum est, attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis.

Can. 24

§ 1. Cum vacat paroecia aut parochus, ratione captivitatis, exsilii vel relegationis, inhabilitatis vel infirmitatis valetudinis aliasve causae a munere pastorali in paroecia exercendo praepediatur, a loci Ordinario quampri-
mum nominetur, aut ad normam can. 8, § 3 instituatur, administrator pa-
roecialis, sacerdos scilicet qui parochi vicem pro tempore suppleat ad nor-
mam can. 25.

§ 2. Administrator paroecialis constitui etiam potest, si Episcopus
dioecesanus id expedire iudicaverit, casu quo absentia parochi ultra men-
sem sit duratura.

Can. 25

§ 1. vacante paroecia itemque parocho ob rationes de quibus in can.
24, § 1, a munere pastorali exercendo prorsus impedito, administrator pa-
roecialis iisdem adstringitur officiis iisdemque gaudet iuribus ac parochus.

§ 2. Parocho ratione inhabilitatis infirmitatis valetudinis a munere ex-
plendo pro parte impedito, aut ad normam can. 24 absente, administrator pa-
roecialis iis adstringitur obligationibus gaudetque iuribus, quae actu
constitutionis definiuntur.

§ 3. Administratori paroeciali nihil agere licet, quod praeiudicium af-
ferre possit iuribus parochi aut damno esse possit bonis paroecialibus.

§ 4. Administrator paroecialis post expletum munus eiusdem parocho
rationem reddat.

Can. 26

§ 1. Vacante paroecia itemque parocho a munere pastorali exercendo
penitus impedito, ante administratoris paroecialis constitutionem, paro-
eciae regimen interim assumat vicarius paroecialis, et si plures sint eorum
nominatione antiquior; atque, si vicarii desint, parochus a iure particulari
definitus.

§ 2. Qui paroeciae regimen ad normam § 1 assumpsit, loci ordina-
rium de paroeciae vacatione statim certiore faciat.

